

tuum foribus reclusis, jam quidem, ut tunc arbitrabatur, deum, ceterum, ut docuit eventus, te consalutavit imperatorem, nec aliter a cunctis omen acceptum est. Nam ipse intelligere nolebas: recusabas enim imperare, recusabas, quod bene erat imperaturi. Igitur cogendus fuisti. Cogi porro non poteras, nisi periculo patriae, et nutatione reipublicae. Obstinatum enim tibi, non suscipere imperium, nisi servandum fuisset. Quare ergo illum ipsum furorem motumque castrensem reor exstitisse, quia magna vi magnoque terrore modestia tua vincenda erat. At sicut maris coelique temperiem turbines tempestatesque commendant; ita ad augendam pacis tuae gratiam, illum tumultum praecessisse crediderim. Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur. Occultat utrorumque semina deus, et plerumque honorum malorumque caussae sub diversa specie latent.

VI. Magnum quidem illud saeculo dedecus, magnum reipublicae vulnus impressum est. Imperator, et parens generis humani obsessus, captus, inclusus: ablata mitissimo seni servandorum hominum potestas; ereptumque principi illud in principatu beatissimum, quod nihil cogitur. Si tamen haec sola erat ratio, quae te publicae salutis gubernaculis admo-veret, prope est, ut exclamem, tanti fuisse. Corrupta est disciplina castrorum, ut tu corrector emendatorque contingeres: inductum pessimum exemplum, ut optimum opponeretur: postremo coactus princeps, quos nollet, occidere, ut daret principem, qui cogi non posset. Olim tu quidem adoptari merebare; sed nescissemus, quantum tibi deberet imperium, si ante adoptatus esses. Expectatum est tempus, in quo liqueret, non tam accepisse te beneficium, quam dedisse. Confugit in sinum tuum concussa respublica, ruensque imperium super imperatorem, imperatoris tibi voce delatum est. Imploratus adoptione, et accitus es. Ut olim duces magni a peregrinis externisque bellis ad opem patriae ferendam revocari